Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mini tuo· et exaudies in celo orationes
eorum et preces eorum et facies iudicium eorum·
Quod si peccaverint tibi· non est enim homo
qui non peccet· et iratus tradideris
eos inimicis suis· et captivi ducti
fuerint in terram inimicorum suorum lon
ge vel prope· et egerint penitentiam in corde
suo in loco captivitatis· et conversi
deprecati fuerint in captivitate sua di
centes· peccavimus· inique egimus·
impie gessimus· et reversi fuerint ad
te in toto corde suo et tota anima
sua· in terra inimicorum suorum ad quam
captivi ducti fuerint· et oraverint
te contra viam terre sue· quam dedisti
patribus eorum et civitatis quam elegisti·
et templi quod edificavi nomini tuo·
exaudies in celo in firmamento
solii tui orationem eorum et preces eorum et
facies iudicium eorum· et propiciaberis
populo tuo qui peccavit tibi· et omnibus
iniquitatibus eorum quibus prevaricati
sunt in te· et dabis misericordiam coram eis
qui eos captivos habuerint· ut misere
antur eis· Populus enim tuus est· et
hereditas tua· quos eduxisti de terra
egypti· de medio fornacis ferree·
ut sint oculi tui aperti ad deprecati
onem servi tui· et populi tui israhel·
et exaudies eos in universis pro quibus
invocaverint te· Tu enim separasti eos
tibi in hereditatem· de universis populis
terre· sicut locutus es per moysen servum
tuum· quando eduxisti patres nostros de e
gypto domine deus· Factum est autem
cum complesset salomon orans do
minum omnem orationem et depreca
tionem hanc· surrexit de conspectu
altaris domini· utrumque enim genu
in terram fixerat· et manus expanderat
ad celum· Stetit ergo et benedixit omni
ecclesie voce magna dicens· Benedictus
dominus deus qui dedit requiem populo
suo israhel· iuxta omnia que locutus
est ei· Non cecidit nec unus quidem
sermo ex omnibus bonis que locutus
est per moysen servum suum· Sit dominus
deus noster nobiscum sicut fuit cum patribus
nostris· non derelinquens nos· neque pro
iciens· sed inclinet corda nostra ad se
ut ambulemus in universis viis
eius· et custodiamus mandata eius
et cerimonias· et iudicia quecumque man
davit patribus nostris· Et sint sermones
isti mei quibus deprecatus sum coram
domino· appropinquantes domino deo
nostro die ac nocte· ut faciat iudicium
servo suo et populo suo israhel per singulos
dies· et sciant omnes populi terre quia
dominus ipse est deus· et non est ultra
absque eo· Sit quoque cor nostrum perfectum
cum domino deo nostro· ut ambule
mus in decretis eius· et custodiamus
mandata eius sicut et hodie· Igitur
rex et omnis israhel cum eo· immolabant
victimas coram domino· Mactavit
que salomon hostias pacificas
quas immolavit domino· Boum· xx·
duo milia· ovium· c· xx· milia· Et
dedicaverunt templum domini rex et
filii israhel· In die illa sanctificavit rex
medium atrii· quod erat ante domum
domini· Fecit quippe ibi holocaustum
et sacrificium· et adipem pacificorum·
quoniam altare eneum quod erat coram domino
minus erat· et capere non poterat holo
caustum et sacrificium et adipem paci
ficorum· Fecit ergo salomon in die illo
festivitatem celebrem et omnis israhel
cum eo· multitudo magna· ab in
troitu emath usque ad rivum egypti
coram domino deo nostro· vii· diebus
et· vii· diebus· i· xiiii· diebus· et in die
octavo dimisit populos· qui benedicentes
regi profecti sunt in tabernacula sua
letantes· et alacri corde super omnibus
bonis que fecerat dominus david ser
vo suo et israhel populo suo· V I I·